

De Latinitate maccaronica commentatus / [Johann Gottlieb Biedermann].

Contributors

Biedermann, Johann Gottlieb, 1705-1772.

Publication/Creation

Freiburg : C. Matthaeus, [1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r3yt9mrq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





43426/B

A xxv. b

The macaronic poem is by Remy Belleau. 1528-1577.

The Tract bound up with this. "De Latinitate Macaronica Commentarius"
Bidermann. is very rare. 9H.



Sylvain Van De Weyer.

REGIMEN SANITATIS

DE
LATINITATE MACCARONICA
COMMENTATVS

TRES ORATIONES
VALEDICTORIAS
INDICIT
et
AD EAS AVSCVLTANDAS
OBSERVANTER
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE

Litteris CHRISTOPH. MATTHAEL.

IX.

169

X

Quo diffusius est studium Romani sermonis, uniuersum terrarum orbem peruagati, eo pluribus maculis Latinitas identidem adspersa fuit et deformata. Nihil iam dicam de illa aetate, qua sub prima auspicia urbis conditae cum Euandri matre loquentes Romani Osce et Volsce fabulabantur; a) et cuius scriptoribus idem fere locus relinquitur, qui antiquis numis, plus uenerationis ab annorum numero habentibus, quam ex metalli nobilitate. Neque iam illud commemorabo Latinitatis fatum, quum, euulgato imperii arcano, posse principem ex prouincialibus legi, Hispani, Galli, Afri, Thraces, Arabes, et Pannonii Romam pertracti, amplissimis honoribus ornarentur: quo facto, Latinus sermo natiua sua indole et pulcritudine multum decedebat. Neque etiam ea tempora attingam, quum, effusis in Romanum imperium Gothis aliisque gentibus barbaris, misere deflorata fuit Latinitas multisque sordibus commaculata. Sed animus est, de Latinitate Maccaronica hoc loco agere: quod argumentum ideo iucundum fore aequis lectoribus, confido, quod ab iis fere omnibus praetermissum esse, video, qui de Latina lingua exposuerunt.

Et hoc quidem nomine ille stilus insignitur, qui ex dictionibus et loquendi formulis diuersarum linguarum est conflatus, et ad latini sermonis rationem quomodocunque conformatus. Eodem fere modo Latinitatem Maccaronicam LEXICOGRAPHVS TRIVULTINVS definit: b) *c' est un ragoût de diuerses choses, composé d' une maniere, qv' on peut appeller paysanne. Il y entre du Latin, de l' Italien, ou de quelque autre langue vulgaire aux mots, de laquelle on donne une terminaison Latine.* Originem haec adpellatio traxit ex certo cupediarum genere, quas Maccaronas Itali nominant, hoc est, buccellas, ex rudi farina, butyro, ouis et trito caseo confectas, atque inter mensae delicias ab agreslibus referri solitas, quas à Graecis *κοπτας* olim ideo dictas fuisse, SALMASIVS putat, c) quod ex iis componantur, quae contundi debent. Hoc edulii genus, ut fieri solet, ex rure in urbem accitum, variisque accessionibus ita auctum fuit, ut artolagani ex saccharo et amygdalis confecti hoc nomine etiam nunc insigniantur. Vnde autem dicti sint isti Maccarones, non una omnium est sententia. Qui ad Graecum *μακας* illud nomen referunt, eos ita adpellatos existimant, quod beatorum et caelitum epulis digni videantur. Alii vero Maccaronicorum natales a MACCO deriuant, cuius stupiditas et insulsa viuendi ratio in omnium ore et oculis adeo versabatur, ut *μακκοαν* Graecis

a) Gell. Noct. Att. L. I. c. X. p. 61.
c) ad Solin. p. 896.

b) Dictionnaire de Trevoux T. III. p. 1624.



cis idem esset, ac insanire. Ita enim ARISTOPHANES: d) το τε δημος προσωπον μακκοα καθήμενον, i. e. populi persona surda ac muta stulte desidet. Quem locum Scholiastes his verbis illustrat: e) μακκοα, i. e. ἀνοήτῃς. Ἐν ἡδὲ ἐστίν. Ἐφάμεν δὲ, ὅτι ἡ Μακκῶ ἐνεα ἦν. Plura dabunt APVLEIVS, f) HADR. TVRNEBVVS, g) IS. CASAVBONVS, h) HENR. STEPHANVS, i) POLLVX, k) CAEL. RHODIGIVS, l) et IVL. CAES. BVLENGERVVS m)

Et primos quidem Italos per iocum et lusum stilum Maccaronicum in publicum protulisse, extra omnem controuersiam positum esse, existimamus. Licet enim iam sua aetate PLAVTVS ad risum captandum formauerit vocabula: *Vaniloquidurus, virginivendonides, nugipolyloquides, argentiexterebronides, tedigniloquides, numorumexpalponides, therapontigonoplatagidorus*, n) et alia, singulari studio à SAM. WERENFELSIO collecta; o) pauciora tamen haec sunt, quum ut ad stilum Maccaronicum referri mereantur. Contra vero non desunt ex scriptoribus cum prosaïcis tum poëticiis, qui uniuersa sua opera hoc filo contexuerunt. *Epistolas obscurorum virorum*, ab equite doctissimo, VLRICO AB HVTTEN eo consilio compositas, ut rancida et pudenda scholasticorum barbaries deridenda publice exhiberetur, p) hoc loco nominasse, satis erit, quum multorum manibus terantur, nec sine voluptate legantur. Quod exemplum imitatus THEOD. BEZA, quum videret, suae fidei socios in Gallia grauiter infestari, curiae Parisiensis praeside Petro Lyseto flammis huic incendio idemtidem subiiciente, cum alibi q) acerbè eum perstringebat, tum praecipue in singulari epistola, stilo Maccaronico consignata, personato *Magistri Benedicti Passavantii* nomine grauisime in ipsum inuehebatur. Ea vero ita inscripta erat: *Epistola responsua ad commissionem sibi datam a venerabili D. Petro Lyseto*. r) Quam ubi Gallicus censor, SALLENGRE profert, ita differit: s) *Tb. Beza, qui dans ce tems-là étoit âgé d' environ trente deux ans, s' avisa de tourner en ridicule le President Lizet et ses ouvrages: et pour cet effet il écrivit en stile Maccaronique tout à fait plaisant cette epitre, dans laquelle le Passavant envoyé par le Président Lizet à Geneve, pour s' informer de ce, qu' on y disoit de son ouvrage, lui rend compte de sa commission.* Eandem

* 2

Bezae

- d) Equit. v. 395. e) edit. Kuster p. 192. f) Apolog. II. g) Aduersar. L. XVII. p. 526. h) in Not. ad Aristoph. l. c. i) Thesaur. Graec. p. 1410. k) Onomast. p. 160. l) L. XVII. c. 3. m) de Theatro. L. I. c. 44. n) Pers. Act. IV. Sc. VI. 20. sqq. o) Diss. de Meteoris oration. p. 268. p) *Hardt's Ephemerid. Philol. Disc. I. p. 13. Rollii Vit. Philos. Dec. I. p. 65. et Obseruatt. Sel. T. IV. Obs. 19.* q) Hist. Eccl. T. I. p. 233. r) Geneu. 1552. s) *Memoires de litterature T. I. p. 139.*

Bezae epistolam FLORIMVNDVS RAIMVNDVS t) *une belle drôle-rie*, elegantes ineptias, NAVDAEVS u) *des furieuses invectives*, atrocem obrectationem, THVANVS u) *artificiose ridiculam*, BAYLIVS autem x) *une satire burlesque*, scriptum mordax et ioculare, adpellant. En illius specimen: *postquam veni et me debottavi audacter, quia nemo unquam mihi peius dixit, quam nomen meum, in continenti memor practicae vestrae, ego feci bonam minam, dicens: ô quam ego laetus sum, quod veni in bonam patriam euangelii! Et unus dixit mihi, quod ego essem bene ventus.* etc.

His iungere licebit particulam illius epistolae dedicatoriae, quam editor operi Maccaronico MERLINI COCCAI praefixit, ex qua adparet, quid sibi ipse auctor in hoc libro praestitisse videatur. Ita enim ille: *Infantasticabile nostri poetae sentimentum iam menses pene septem adeo sforzatus sum distortiare vel magis creuellare, quod meum ingenium quasi de birlo cascavit. Singula tamen brancatissime ad ultimum attacavi, tantum philosophiae, astronomiae, cosmographiae, musicae, nigromantiae, physicae et alchymiae sparpagnationem et doctrinam marauigliatus, ut nihil Pythagoram, nihil Platonem, Ptolomaeum, Boëthium, Zoroastrem, Auicennam et Geber fuisse, iudicatum est. Praeterea grandiloquacitationem, sermonisque pinguedinem masticantes, Ciceroni Virgiliosque incagare, praesumimus. Nonne quandam parlandi bravariam et altezzam sua carmina demonstrant?* Et huic quidem, quem iam nominauimus, MERLINO COCCAI hoc genus Latinitatis adeo arrisit, ut integrum librum Maccaronicorum conscriberet, qui supellectilem scholae nostrae librariam exornat. y) Is vero, quum non vbiuis sit obuius, me operae pretium facturum putavi, si, quae notatu digna videntur, de eo paucis exponerem. Verum ac genuinum auctoris nomen fuit THEOPHIL. FOLENGI, qui, patria Mantuanus, saeculo XV. familiae et regulae S. Benedicti adscriptus fuit, anno MDXXXIII. vita defunctus, cuius vitam et fata SALLENGRE z) et R. P. DOM. MARIANO ARMELLINI a) persequuntur. Hic igitur, MERLINI COCCAI adscito nomine, ludicro et faceto illi scribendi generi ita inseruit, ut ceteris palmam praeripuisse videatur, *aimant mieux*, ut differit Ephemeridum Gallicarum scriptor, b) *occuper le premier rang dans une poésie badine, que le second*

t) de la naissance de l' heresie L. VIII. c. 17. u) Mascarat. p. 230. w) Hist. L. VI. x) Nouvelles lettres de l' Auteur de la Critique generale du Calvinisme de Mfr. Maimbourg p. 144. y) Venet. 1572. in 12. z) Memoires de litterature T. I. p. 462. a) in Bibliothec. Benedict. Cassan. P. I. Memoires de Trevoux 1736. nu. 4. b) Journal litteraire de l' annee 1717. T. IX. p. 269.

second dans le genre sérieux, a repandu des phrases Latines dans le stile Italien, comme le Maccaronique jette la diction Italienne dans la composition Latine. Iam videamus nonnullas ex eius libro versuum Maccaronicorum delicias. Et quoniam hac tempestate in veris amoenitate versamur, audiamus illud Epigramma, quo hanc anni partem complexus fuit: c)

*Multicoloritam vestit iam terra gonellam,
Bellaque iam flores dat pratavia novos.
Montagnae rident, boscamina virida fiuntur,
Omnis compagnum cercat osella suum.
Frigida per caldas rampat luferta muraia,
Mannaque de florum culmine lekkat apis,
Extra graniferas errat formica busettas,
Et per fossatos rana sbaiaffa gridat.
Pastorella suum cantat damatina morosum;
Lilia purpureis consuit alba rosis.*

Alio loco, viros bellicos descripturus poëta Maccaronicus, hunc in modum canit: d)

*Mille vides rocas malagazzas, mille gianettas,
Spontones, lanzas, alebaldas et giauarinas,
Dantque focum schioppis tuf tafs borrrante ballotta.
Semper habent longas barbazzas puluere plenas. etc.*

In describenda autem alchymia occupatus, ea, quae ad hanc artem requiruntur, ita pronuntiat: e)

*Ipsius autor enim post vanas mille fadigas
Post consummatum necquicquam tempus et annos,
Post ganger, mardach, nitron, post napsu vel arhar,
Post gry, brunefich, chymastroi, danidos, esig,
Post fu, girapiron, licodemon, ilfil, oriza,
Post guasappa, reif, saragin, centumque facendas
Quae fastidirent, si vellem dicere totas,
Verbitrium lapide retrouauit philosophorum. etc.*

Neque tamen vnus et solus fuit hic Merlinus, qui ingenium his iocis exercuit: sed huius vestigiis insistens iam anno MDXXVI. GVARINVS CAPELLVS, Sarfinas, Arimini in vulgus edidit Poema Maccaronicum in Cabrinum, Gagamagogae regem, f) multo sale respersum. Interiecto tempore aliud carmen luci publicae exponebatur, inscriptum: *Maccaronica* de Syndicatu et condemnatione Doctoris Samsonis Lembi, ingenio

c) Maccaron. p. 739.

d) l. c. p. 97.

e) l. c. p. 265.

f) Naude l. c.

genio longe inferius Merliniano. Contra autem omnium plausum meruit carmen BERNARDINI STEFANII, S. I. cuius rubrica: *Maccaronis forza*, quo nihil in hoc genere venustius fieri potest, teste I. NICO ERYTHRAEO. g) Post haec auspiciis ANDR. BAIANI, anno MDCXX, typis expressa prodiit *de Carnauale Fabula Maccaronica*. Neque silentio praetermittendus est CASP. VRSINIVS, Italus, cuius ingenium festiuium et lepidum prodit *Capricia Maccaronica Magistri Stopini, poëtae Pouzanensis*. h) GIOANNI GIACOMO RICCI autem Maccaronica cum in *Poete riuali* tum in *Diporti di Parnasso*, Romae MDCXXXII. et MDCXXXVII. publicatis leguntur. Augent horum numerum *Noua nouorum nouissima stilo Maccaronico*, auctore BARTHOL. BOLLA, itemque ANTONIVS de ARENA *de arte danfandi*, et *de guerra Neapolitana, Romana et Genuensi*: IOANNIS GERMANI, I. V. D. in sede Forcalquerii Aduocati, *Historia brauissima Caroli V. Imp. à Prouincialibus Paysanis triumphanter fugati et desbifati*: REMI BELLEAV *Dictamen metrificum de bello Hugonotico et rusticorum pigliamine ad sodales*: M. FREY *Recitus veritabilis super terribili esmenta Paysanorum de Ruellio*: IOH. EDVARDI du MONIN *Carmen Arenaicum de quorundam nugigerulorum piaffa insupportabili*. Quibus addendus est M. I. B. LICHIANVS, Recatholicatus, Spaliporcinus poëta, qui composuit *Cacasanga Reistro-Suizzo Lansquenetorum*. FRANCISCVM autem RABELAESIVM, saeculi sui Lucianum, scurram perfacetum, ingeniosa dicacitate famosum, et in deridendis hominum actionibus totum, hoc genus scribendi Maccaronicum et deamasse, et suis in libris Merlinum imitandum fuisse, ex ea suorum Operum particula intelligitur, quae PANTAGRVEL nomen in fronte gerit. i) Ad extremum neque hoc praetereundum est, ipsum patrem purpuratum immortalis nominis, MAZARINVM, stilo Maccaronico mirifice delectatum, tantaque illius facultate instructum fuisse, vt saepius quadringentos versus Maccaronicos, sine praeuia meditatione, ne verbo quidem lapsus, felicissime pronuntiaret. k)

Priusquam scribendi finem faciam, duo specimina subtexere liceat, quae ad hanc caueam referri merentur. Alterum est initium carminis, à P. F. ARPIO conseruati, l) quod, si diis placet, ad incantandum idoneum, ea complectitur, quae ad veneficia exercenda pertinent et lunam caelo deducendam. Vin' dicam? Sunt

Grappaepicati, nascentis sputa putini,

Cor talpae, gatti cerebrum, grassique foeni

Terra, quae sepelit mortos, duo membra rubetae, etc.

Al-

g) in Pinacothec. vit. Stefan. h) Venet. 1636. i) Iean Clerc Bibliotheque choïse T. XX. p. 43. k) Dictionnaire de Treuoux T. III. p. 1624. l) Fer. Aetiv. p. 85.

Alterum est poëma inuectiuum in eos, qui Christi socios infestant. Quod quum ad normam graeci sermonis sit compositum, ipsos versus graecos, multa ante saecula in Graecia repertos, m) hoc loco repetere non pigebit. Sunt igitur hostes nominis Christiani

Εἰματολευκοφοροί, φαινοσκυθροποτεπρωτοί,
 Ζυθοδιευγιστοί, χρηματομισσοπραταί,
 Χριστοκαθηματισταυροί, εἰδωλοσεβασταί,
 Λεκτροδικαιοφυγοί, πορνολαθραϊοτροφοί.
 Εξαπατησιαδαί, κοσμοπάντηπεροπευταί
 Καλλιτριχιπποβαταί, κερματοθηρασιδαί,
 Φαιναγιοφθαλμοί, ὀλοοφρενιλαθραφυλευταί,
 Αἱματοδιψαλεοί, κερδαλεοφρονιμοί,
 Βομβαρδοξιφεισυχονεγχεσιπυρδιαλεκτοί,
 Βιβλιοθεφυγαδες, κοσμοματαιοσοφοί,
 Διαβολοσπερεες, παχυσκοτοεργοδιωκταί,
 Ορθοφρενιπλανεες, ταρταρερινυμοροί.

Quae CRVSIVS Latinis verbis ita retulit: n)

Candidauestigeri, faciesimulanteseucri,
 Pulchroperotumidi, missapecunifices.
 Quotidie christocrucifigi, idolicolentes,
 Connubisanctifugae, clammeretricilegae.
 Versidolopelles, totorbiperambulotechnae,
 Alticaballequites, fraudipecunilegae.
 Fictoculosancti, mentexitiosiferentes,
 Sanguinigrudibibae, pectorecelidoli.
 Bombardagladiofunhastafammiloquentes,
 Bibliafacrifugae, desipidiscioli.
 Nigradeonati, crassaetenebraestudiofi,
 Mentebonapriui, tartarerynnipetae.

Sed satis de Maccaronicis. Quae sicuti facetiis inseruiunt et iocis, ita à iuuenum studiis diuersa sunt atque aliena, qui seuera lege Musas colunt, et aduersus omnis generis barbariem in his castris militare iubentur. Quod consilium sapienter ii adhuc sequuti sunt, qui, collectis sarcinis scholasticis, ad iter academicum sese accingunt. Non prius autem discessionem a nobis facient, nisi publice pietatem et diligentiam testificati. Hac mente

IO. GOTTFR. HAENISCH,

Rabischau.

per varios casus et admiranda discrimina rerum praeclaro studio adhuc ad
 veram

veram virtutum et sapientiae gloriam nifus, oratione Germanica *praecipuas, quae doctrinam ornant, virtutes*, auribus et animis auscultantium exponet. Post hunc

CAROL. GOTTLOB BURCKHARD,

Muldauiensis,

religione et diligentia nemini secundus, et eo magis providentia diuina adhuc fretus, quo minus praesidii ex sua re familiari ipsi suppetit ad finem feliciter consequendum, sui nominis memor, *de Sancto Burchardo*, cuius memoriam anniuersariam fasli referunt, sermone Latino perorabit. Denique

CAROL. CHRISTIAN FRIDR. COLLMANN,

Frauenstein.

qui et ingenii felicitate et morum facilitate sese insinuat atque commendat, iuribus tractandis destinatus, vltima verba faciet *de studii iuridici difficultate*, Latina lingua vsurus. Abeuntibus bona verba dicet

IO. GOTTFR. HEZEL,

Olbernhau.

sermone Teutonico, eoque numeris adstricto, et tam molli quam morato discessum gratulatus. Gratulatus, inquam, hoc officio defungetur. Quis enim iis hoc facere, erubescat, qui absolutis feliciter studiis, ex scholis et gymnasiis cum laude in academiam se conferre possunt? Non erat igitur, cur nuper nonnemo, audiens, denuo dimittendos esse iuuenes e nostra schola in academiam, false cauillaturus, suum mihi dolorem declararet, veluti praesagiens, tandem nihil praeter subsellia vacuefacta relictum iri. Ego vero, tantum abest, ut consilium discessuris gratulandi mutem, ut potius publice tester, nihil mihi esse gratius, quam iuuenes bene praeparatos aliis tradere ad futuram suam felicitatem praeclare adspirantes. Praeterea non habeo, cur doleam duodecim alumnorum discessum, quum exprouida diuini numinis cura loca istorum iam videam resarta. Hoc ipso mense Maio primus effluit annus, ex quo ad rectoris prouinciam Freibergae administrandam accessi. Hoc temporis interuallo nonaginta duo in album scholasticum eosque nomen inter discentes profectos recepi. Quod ego non vana ostentatione inductus hoc loco indico, sed gratiam diuini numinis pro salute scholae nostrae tam prouide excubantis veneraturus, et malevolis ostensurus, quod iure ac merito abeuntibus discipulis possimus gratulari.

Vos, PATRONI, FAVTORES et AMICI, rogo atque contendo, ut etiam cras hora ante meridiem IX. demonstratis, quo loco nostram scholam habeatis. Vestra praesentia cum docentes consolabitur, tum discentes mirifice irritabit. P. P. Freib. d, XXVII, Mai.

M D CC XXXXVIII.

Feb 1. 1917. Lot 2714.

Q|EM|- Van de Weyer Sale. Pt. 2.

